cum illis ita ageret Christus, quasi uno communionis vinculo cum cæteris Judæis jungerentur, primasque in Synagoga cathedras tenerent: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi* (*p*).

p *Matth.* 23. 2.

Qui blasphemiam in Spiritum Sanctum constituunt in neganda Filii vel Spiritus Sancti Divinitate totam Divinæ sententiæ significationem assecuti non esse videntur. Non enim agebat Christus de Sancti Spiritus Divinitate, quam luculentè satis ipse Jesus non adhuc expresserat. Verba eâ de re primùm fecerat seorsum cum Discipulis, paulò ante obitum suum, & post Resurrectionem iterum. Ad Divinitatem suam quod attinet, insinuare eo loco videtur Pharisæis, siquidem nullo alio præterquàm negatæ sibi Divinitatis crimine irretirentur, omnia se facilè condonaturum. Neque enim hanc fidem exegit, nec annunciandum illud Fidei dogma antea jussit, quàm post Resurrectionem suam.

Augustino cæterisque sententiam ejus secutis negare quidem non possumus, livorem, nequitiam charitatem proximi destruentem, cùm scilicet ad finem usque vitæ duraverint, ac tandem finalem impœnitentiam crimina reputanda esse omni veniæ spe destituta; sed eadem pariter blasphemiam in Spiritum S. habenda esse vix credimus. Fatemur quidem sceleribus hisce Dei sanctitatem violari, charitati S. Spiritûs injuriam irrogari, gratiæ divinæ ad se pellectu suo trahenti homines resistere, eamque tandem, quantum in illis est, evertere atque destruere. Sed nihil illis non commune eâ in re cum cæteris aliis criminibus, quibus tamen blasphemiæ in Spiritum S. nomen non vindicatur.

Eadem pariter de apostasia, de blasphemia in nomen Dei dicenda manent; quæ omnia à nonnullis Veterum nomine criminis in Spiritum S. designari credita sunt. Immania sunt quidem crimina adeò, ut nec veniam mereantur, nisi fortè non fucatâ cordis pœnitudine eandem veniam deprecemur. Ut quid tamen hęc potiùs crimina blasphemiæ in Spiritum S. nomine designentur præ Idololatria, perjuriis, aliisque criminibus, quibus majestati, potentiæ, & bonitati divinæ injuria irrogatur? Audax ille & impius, qui *elatâ manu* in Deum fertur, tum in præsenti mundo cùm in altera vita diris animadversionibus punitur: quòd autem tantum crimen peccati in Spiritum S. nomine à Grotio designetur, nihil est; æquè enim tribus, Patri scilicèt, Filio, & Spiritui S. repugnaret.

Quæ Spiritum S. potissimùm offendunt crimina, sex assignant Theologi, videlicet 1. Impœnitentiam finalem. 2. Desperationem, 3. Obfirmatum in malo animum, 4. Exploratæ veritati contradictionem, 5. Nimiam de bonitate Dei præsumptionem, quibus in peccatum animamur. 6. Iniquioribus oculis eos suspicere, qui sinceræ charitatis vinculo inter se colligantur. Nihil tamen ex his Jesus Christus Pharisæis potissimùm exprobrat; vitio enim illis vertit, Dæmonis operationi tribuisse præstita à se opera, quamquam à Deo patrata probè intelligerent.

Simonis Magi crimen, qui vendi sibi, collato pretio, postulavit prodigiorum patrandorum virtutem, tum & manuum impositione prodigia pro arbitrio dispensandi, quemadmodum & ab Apostolis factum norat (*q*), alterum est criminis in Spiritum S. genus. Impius enim ille magicæ operationi præstigiisque tribuebat, quæ Apostoli non nisi divinâ virtute operabantur. Habebat viros illos divinos tanquam magicis artibus peritissimos, & se pariter Dæmoniacis illis scientiis instructiores; volebat proinde arcanum illud sibi pretio referari, ut pretio vicissim ipse ceteris venderet. Itaque S. Petrus, veluti dubitans num remissionem de tanto crimine esset impetraturus, denunciavit: *Pœnitentiam age, si fortè remittatur tibi*; quibus satis insinuavit, non segniter illi laborandum, ut veniam impetraret.

q *Act.* 8. 20. 21. 22.

Porrò crimen illud neque in hoc mundo neque in altero remissum iri Christus ideò denunciavit, quod naturâ suâ omnem excluderet veniam; directè enim, neque ex obliquo impetit bonitatem, & misericordiam S. Spiritûs, fontem proinde arceret à venia, fores occludit indulgentiæ, & divinæ misericordiæ velut aggerem opponit. Ea est enim illorum criminum, ceu lethalium quorumdam morborum, indoles, qui alto sopientes torpore ægrotum, negligere, quin & contemnere pariter monita & pharmaca Medici languentem cogunt. Accidit etiam interdum, ut non contemnat tantùm sanitatem, sed & contraria etiam omnia præstet. Hæc flagitiorum immanitas nonnisi prodigiis expugnaretur (*r*). Parum est igitur, si cum S. Joanne Chrysostomo aliisque nonnullis flagitium illud ideo irremissibile credatur, quòd ægrè expietur; inesse etiam vitio scelus aliquod reputandum est, quod veniæ naturâ ipsâ repugnet. Nec tamen fines divinæ bonitati vel potentiæ prescribere audemus; sicut neque Ecclesiæ collatam à Christo omnium criminum remittendorum potestatem cum Novatianis negamus. Nullum re ipsa crimen inexpiabile ultro quidem agnoscimus; presto est enim semper Deus crimini deflentibus remmittendo; presto est semper Ecclesia, ut aversos à Deo homines in ejus amicitiam redintegret, modò pœnitudinis suę intimę minimè fucata exhibeant documenta. In hanc sententiam revocandum est illud S. Paciani Ep. 3. ad Sympronianum, qui excessisse aliquanto visus est, dum crimen in Spiritum S. extra fines receptæ ab Ecclesia absolvendi à criminibus potestatis constituit.

r *Vide Maldonat. Menoch. in Matt.* 12. 31.

IN

IN EVANGELIUM
S. LUCÆ
PROLEGOMENON.

SLucas sive Lucanus (*a*), ut in nonnullis Mss. vel *Lucius*, ut in Epistola Apostoli ad Romanos (*b*), oriundus erat Antiochiâ urbe Syriæ metropoli, & medicinam non sine egregiâ laudis famâ, additS. Hieronymus, professus est (*c*). Cęlibem vitam agens neque conjugem ullam duxit neque liberos genuit, ut in Additione ad viros illustres ejusdem Patris legimus. Sunt qui Paganum religione crediderint (*d*), cui tandem S. Paulus Evangelium Antiochiæ annuncians fidem persuaserit. Judęum tamen alii, & è numero Septuaginta Discipulorum arbitrantur (*e*). Narrant S. Hippolytus (*f*), & S. Epiphanius, virum illum, cum audisset Jesum dicentem: *Qui non manducat meam carnem, nec bibit meum Sanguinem, non est me dignus*, abalienatum recessisse; iterum deinde Pauli concionibus ad pristina consilia revocatum. Unà cum Cleopha iter egisse ad Emmaus, cùm Jesum habuerunt in comitatu, alii ex Patribus testantur (*g*).

Alii tandem memorię prodiderunt, pingendi scientiâ non imperitum [*h*], tabulas plures, quas monstrant, posteritati transmisisse. Censent pariter (*i*) confundendum cum *Lucio*, de quo S. Paulus in Epist. ad Rom. 16. 21. quem virum necessitudine cum Apostolo conjunctum arbitrantur. Meminit porrò Lucæ itinerum suorum comitis idem Apostolus in suis Epistolis non semel (*k*); autumantque nonnulli, Apostolum illum familiari eâ phrasi (*l*), *secundùm Evangelium meum*, scriptum à Luca Evangelium designare, de quo pariter interpretantur ejusdem Apostoli illud 2. Cor. 8. 18. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*.

Dicta tamen hucusque non æquè certa sunt omnia; nec meliori fide assertum à nonnullis Veterum credimus, virum illum inter Septuaginta Discipulos Jesu Christi adlectum fuisse. Scribit enim de se Evangelista, nonnisi oculatorum testium fide & revelatione Opus suum scripsisse (*m*). Tertullianus partìtet velut exploratissimum constituit, nunquam illum inter Discipulos Jesu Christi cooptatum, Evangelium nonnisi S. Pauli revelatione didicisse (*n*); idemque Scriptor cum S. Irenęo lib. 1. cap. 20. virum Apostolicum tantùm appellat. Hui c pariter sententiæ multò magis repugnant, quicumque ex Pagano vel Proselyto ad fidem traductum arbitrantur. Pingendi arte peritum nemo Veterum ante Nicephorum agnovit. Quod autem eam opinionem inducere potuit, illud facilè reputandum est, quòd plura de infantia Jesu Chrsti, & rerum gestarum Beatæ Virginis, frustra alibi quærenda, exhibuerit.

n *Cont. Marc. l.* 4. *c.* 2.

Apostoli Pauli Discipulum & itinerum socium fuisse nemo quidem negat; quo tamen potissimùm tempore in ejus se clientelam asseruerit, disquiritur. Quicumque ab Apostolo Antiochię versante ad fidem traductum arbitrantur, ab eo tempore Magistro fidum & indivulsum comitem adhęsisse defendunt: quam opinionem secutos credimus SS. Epiphanium & Hippolytum. Idem pariter docet vetus Ms. Cantabrigense, cui Pearsonius suffragatur. Malunt alii accessisse S. Paulo comitem Troade, laudantes in eam rem illud Actuum 16. 8. 9. 10. *Statim quæsivimus à Troade proficisci in Macedoniam*; quibus verbis unà cum Paulo versari se Lucas ejus Libri author satis insinuati. S. Irenæus pariter itinera S. Lucæ unà cum Apostolo facta percurrens, inde narrationem suam exorditur (*o*). Nicephorus, & Græci recentiores (*p*) autumant, S. Lucam avitis erroribus renunciaturum venisse Thebas Bœotiæ; sed hæc recentiorum Græcorum tantùm fide asserta, nullius sunt momenti. S. Lucam in itineribus suis prosequi, alienum esse à nostro instituto arbitramur.

o *Iren. l.* 3. *c.* 14.

p *Nicephor. l.* 2. *c.* 43. *Menæa* 18. *Octobr.*

Post Pauli excessum, diutius vitam produxisse ex eo credimus, quòd plurium sententiâ 80. vel 84. annorum grandævus vitâ excesserit. S. Epiphanius hæresi 51. testatur, annunciatum ab illo Evangelium in Dalmatiâ, Galliis, Italiâ & Macedoniâ. Ex urbe Roma in Græciam rediisse non modico animarum compendio, testatur Nicephorus l. 2. c. 43. Venisse in Ægyptum, Lybiam, & Thebaidem, Metaphrastes est author. Diem clausisse in Achaja creditur (*q*); unde sacra ejus lypsana Constantinopolim sub Constantio translata asserit Philostorgius l. 3. c. 2. Thebis in Bœotia, Nicephoro author,

q *Hieron. de Viris Illustr. Gaudent. Brix hom.* 17.

a *Lucas ex contractione Lucani. Legitur: Evangelium secundùm Lucanum in Cod. Ms. Bobiensi* 51. 1. *& S. Jo. de Carbonaria Neapoli altero; & ad calcem Cod. Cottoniani: Explicit Evangelium secundùm Lucanum. Vide Mill. ad* 1. *Thessal. c.* 1.

b *Rom.* 16. 21.

c *Euseb. Hist. Eccles. l.* 3. *c.* 4. *Hieronym. de viris Illustr. & in Matth. & alii.*

d *Hieronym. quæs. in Genes. p.* 225.

e *Adamant. l.* 1. *pag.* 8. *Epiph. heres.* 51.

f *Hippoly. Mss. in Bibl. Bodlei. apud Mill. Præfat. in Luc. p.* 120. *Ita & Epiphan. heres.* 51.

g *Gregor. Magn. l.* 1. *Moral. c.* 1. *Quid apud Theophyl.*

h *Nicephor. l.* 2. *c.* 43. *& l.* 6. *c.* 6. *Theodor. Lector hist. l.* 1. *p.* 551. *alii.*

i *Quid. apud Orig. in Epist. ad Rom.*

k 2. *Timoth.* 4. 11. *Philem. ver.* 23. 24. *Coloss.* 4. 14.

l *Rom.* 2. 16.

m *Luc.* 1. 1.